



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola III. Innocentii Papae II. Ad Attonem Episcopvm Pistoriensem. De  
immunitate ecclesiae Pistoriensi concessa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Romanæ ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia reuertatur. Quod si nos vel successores nostros in eamdem terram venire, manere, transire oportuerit; tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout apostolica sedes decreuerit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro caritate vestra nobili viro Henrico Bauariæ duci genero vestro, & filiæ vestræ vxori eius, eamdem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus apostolica benignitate concedimus; ita tamen ut idem dux hominum faciat & fidelitatem beato Petro, ac nobis nostrisque successoribus iuret. Post quorum obitum prædictum comitissæ Mathildæ allodium & ius & dominium sanctæ Romanæ ecclesiæ, sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur; salvo tamen semper in omnibus eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ iure ac proprietate. Datum Laterani sexto Idus Iunii.

## EPISTOLA III.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD ATTONEM EPISCOPVM PISTORIENSEM.

De immunitate ecclesiæ Pistoriensi concessa.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Attoni  
Pistoriensi episcopo, eiusque successoribus canonice  
promouendis, in perpetuum.*

**P**ISTORIENSIS ecclesia, largiente auctore omnium bonorum Domino, in Tuscia partibus a longe retro temporibus huius specialis prærogatiæ munus obtinuit, vt sapientum & discretorum pastorum regimine præfulgeret, & tam in spiritualibus quam in temporalibus per eorum industriam gratum Deo susciperet incrementum. Gaudemus equidem, & debita iucunditate latamur, quoniam supernæ dispositionis prouidentia te, venerabilis frater Atto episcope, sapientem vtique virum, & in religione probatum, eiusdem loci pastorem constituit, & ad gubernandum & instruendum doctrinæ & vitæ exemplo

populum suum miseratione diuina vocavit. Quanto igitur vita tua religiosior est, & præfata Pistoriensis ecclesia, cui auctore Deo præfides, existit beato Petro deuotior, tanto ex iniuncto apostolatus officio magis grata nobis incumbit necessitas, ut prænominatam ecclesiam tibi a Deo commissam auctoritate apostolica priuilegiis muniamus, & ei ius suum illibate & integre obseruemus. Ad exemplar igitur prædecessorum nostrorum felicis memoriarum Vrbani & Paschalis Romanorum pontificum præsenti decreto statuimus, vt vniuersa quæ impræsentiarum eadem ecclesia iuste & legitime possidet, aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma sint tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Statuimus etiam ut dioecesis Pistoriensis episcopatus, sicut eius termini prædictorum nostrorum priuilegiis distincti sunt, sic in iure & conditione Pistoriensi episcopo sine alicuius molestia vel inquietudine perseuerent; per quos nimirum terminos subscriptæ capellæ & ecclesiæ constitutæ esse noscuntur.

## S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripti.

Ego Vvilielmus Prænestinus episcopus subscripti.

Ego Matthæus Albanensis episcopus subscripti.

Ego Ioannes tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis subscripti.

Ego Gottifredus cardinalis presbyter tituli S. Iustinæ subscripti.

<sup>\*Ioannis</sup> Ego Lucas presbyter cardinalis tituli sanctorum \* Petri & Pauli subscripti.

Ego Martinus presbyter cardinalis tituli sancti Stephani in Cælio monte subscripti.

Ego Gregorius diaconus cardinalis tituli sanctorum Sergii & Bacchi subscripti.

Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Via lata subscripti.

Ego Odo diaconus cardinalis sancti Georgii subscripti.

Ego Ioannes diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano subscripti.

Datum Pisæ per manum Haimericæ sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, xii. Kalendas Ianuarii, indictione duodecima, incarnationis domini - cæ M CXXXIII. pontificatus vero domini Innocentii papa II. anno quarto.